Primus Adavus & Adavia paterna.

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI:

& D.D.D.D. Fratrum Ducum Würtemberg. & Tecc. C. M.

EBERHARDUS cognomento Junior, Filius Eberhardi Senioris qui Mitis, pii, & pacifici nomen meruit, ante diem decessit: Anno Domini 1419. Sepultus Stutgard.

Uxor HEINRICA, Filia & hæres Heinrici Comit. Mompelig. ultimi, in pugna ad Nicopolin occisi, Anno Dom. 1396. Diem obiit Anno 1442. Sepulta Mompelig.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

PRimus EBERHARDUS non tam cognomine prisco
Quam virtute sua par fuit ille patri:
Cum Genitore Pio multos fœliciter annos
VVirtembergiacas rexit & auxit opes.
Zollerias urbes & rura beata Balingæ
Ære dato patriis associavit agris:
Beilstiaca pariter possedit mœnia sedis,
Tunc hæres alius nemo superstes erat.
Tempore quo Bajazethes trux ille tyrannus
Intulit Hungaricis armaq; vimq; locis.
HEINRICUS Peligardæus dominator in oris
Cæsaris est ausus Martia castra sequi.
Sed priùs hunc Generum delegit fœdere firmo
Huic Peligardæum tradidit omne solum.
At Burgundiaco numeratus in agmine ductor
Heu postquam Getico concidit ense Socer:
Cæsar EBERNARDO terras concessit habendas
In clypeo pisces inseruitq; duos.
Ex illo jam sunt duo sæcula tota peracta;
Id quod ab antiquis novimus historiis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: [6] - uncounted